



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium IV. An ad impletionem præceptorum requiratur intentio seu
voluntas faciendi id, quod præceptum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

tamen satisfecit præcepto de audienda Missa , et si
peccarit contra aliud præceptum, quo quis tenetur
esse subditus legislatori. Lugo l.c.

III. Is, qui Sacrum audivit die festo, legit Horas eccl.
Canonicas, absolvit pœnitentiam Sacramentalem, cum
cum animo non satisfaciendi, non tenetur postea
mutare voluntatem , ut velit per præcedens opus
satisfecisse: quia verè satisfecit, Sanch. Salas, d. 9.
n. 33. Lugo de Euch. di. 22. f. 2.n. 12. contra Suar.

Opponi potest, quod dicitur Reg. 88. Juris in 6.

Certum est, quād is committit in legem, qui le-
gis verba complectens, contra legis nūtitur volunta-
tem. R. Sensus est eum peccare contra legem, qui li-
cet hanc impleat , tamen contemnit , & paratus est
non implere, nisi aliunde ad implendum moveretur.

D U B I U M IV.

An ad impletionem Preceptorum requiratur
intentio, seu voluntas faciendi id, quo
præceptum est.

REsp. Quod sic: Ratio est, quia cūm lex detur
hominibus, non brutis, ideoque humano mo-
do sit implenda, hinc impletio omnis præcepti, sive
humani, sive divini, debet esse actus humanus con-
iunctus cūm libertate & voluntate operantis, id est,
ut velit sive intendat facere hoc , quod est præce-
ptum; v. g. audire sacrum, jejunare &c. Est commu-
nis. Vid. Vasq. 1. 2. q. 100. a. 9. Suar. Sanch. Vnde
resolvuntur hi Casus :

I. Qui audivit sacrum die festa ebrius, dormiens,
aut impos sui quomodounque , aut nescius quid
aggrederetur aut vellet facere , tenetur postea com-
pos sui factus, audire aliud sacrum. Suar. Sanch. Sa-
las d. 9. num. 32.

II. Is, qui audivit sacrum, jejunavit, &c. prorsus
 violenter coactus, non satisfecit, non enim fuit
 coactus humanus, defectu voluntarii. Vasq. Suar.
 Azor, fil. n. 212.

Dixi, prorsus violenter: Quia si famulus, v.g.
 metu Domini, aut puer metu Magistri, sacrum au-
 diat, (esto non sit auditurus, si magister abesset) is,
 et si perversa voluntate illa peccet, pracepto tamen
 satisfacit. Ratio, quia metus non tollit libertatem.
Sanch. Sal. l. cit. Lay. l. 2. t. 4. c. 4. num. 12.

III. Recitans Horas sola intentione legendi, vel
 addiscendi, non satisfacit; uti nec ille, qui vadit ad
 sacrum, tantum ut oculos pascat, cum alio collo-
 quatur, vel expectet amicum. *Lugo l. c. n. 23.*

IV. Nec satisfacit is, qui tantum ficte confiteri,
 orat &c., quia non ejus fictio, sed opus, praes-
 ptum est.

A D D E N D A.

695 Q. 115. An universaliter verum sit, quod id,
 quo impletur praecipuum, procedere debeat ex
 cognitione, voluntate & libertate operantis. R. Vi-
 dentur affirmare Auctores & Busenb. jam relatus,
 cum quibus Herinck hic d. I. n. 36. dicit actum,
 quo impletur praecipuum, debere esse voluntarium
 & ex certa cognitione, ideoque illum, qui in ebrieta-
 te restitueret, reipsa non ponere actum lege iustitiae
 praecipuum. Communis illa sententia tenenda est,
 si per praecipuum saltem concomitanter aut indirecte
 imperetur actus liber & humanus, uti fit per praecip-
 sum audiendi Missam, legendi horas Canonicas
 &c., nam simul imperatur humana applicatio men-
 tis ad eiusmodi opera, cum debeat adesse aliqua at-
 tentio ac devotio, quam habere non potest ebrius,
 dormiens,

dormiens, impos sui, planè non advertens, recitans tantum ut legat vel addiscat &c. Deinde ut impleatur præceptum, etiam non debet adesse voluntas positivè contraria præcepto & coacta, nam præceptum ideo est, ut dirigat voluntatem & opus subditi, adeoque præceptum postulat; ut voluntas subditi non sit à præcepto positivè aversa: Si tamen præceptum non imperet actum humanum, & voluntas non sit positivè contraria præcepto, dici posset impleri per actum etiam non liberum aut per omissionem puram, *Ratio* est i. quia etiam pro statu, quo adesse non potest voluntareitas & libertas, adhuc obligat præceptum, & si opus tum ponatur, reipsa ponitur substantia rei præceptæ, & hoc ipso obtinetur finis præcepti, ergo impletur præceptum. *Antec. prob.*, ebrius tenetur præcepto jejunii, nam qui ei in ebrietate constituto daret carnes comedendas, peccaret, ergo in eo statu tenetur præcepto, ergo etiam in eo statu debet posse implere, alioquin teneretur ad aliquid impossibile impleri: & reipsa non comedendo implet, cùm reipsa jejunet, & hoc ipso maceratur in corpore, quæ maceratio est finis legis: similitet fur, qui in ebrietate restituit, tenebatur restituere, & restitutio in eo statu facta est hoc, quod imperabat iustitia, quia hac positâ iterum habebatur adæquatio inter jus activum unius & passivum alterius, quæ adæquatio est finis à iustitia intentus: item si in Monasterio sit præceptum silentii pro tota die, qui totâ die dormit, implet præceptum, quia reipsa filiet, & non turbatur domus, quod præcepto illo intendebatur; imò si præceptum sic diceret, qui hac die per tres horas servarit silentium, poterit reliquâ parte diei loqui, qui per tres horas post latum præceptum dormiisset, etiam inscius præcepti, utique posset postea cum aliis reliquo tempore loqui, ergo. *Ratio* est

B b 5

2., quia

prosperus
im fuit
Suar.
us, v. g.
um au-
set) is,
tamen
rtatem.
ndi, vel
adit ad
collo-
fitetur,
præ-

d id,
eat ex
R. Vi-
latus,
stum,
arium
orieta-
iustitia
a est,
directe
præce-
onicas
men-
ua at-
rius,
niens,

2., quia Virtus, ex cuius motivo ponitur præceptum, non obligat ad actum procedentem ex motivo sua propriæ honestatis, uti cum communis *Maurus* Tom. 2. q. 183. & *Palav.* de just. à n. 91; Neque necessarium est, ut impletio sit actus bonus, uti n. 690. dictum est, & præter ibi citatos docent *Vasq.* 1. 2. q. 100. a. 9. *Palav.* n. 92. *Ilf.* t. 1. d. 2. n. 36. vocans communissimam & certam sententiam, ergo neque est necessarium, per se loquendo, ut sit actus voluntarius & liber. *Conseq. prob.*, nam ista ratio voluntarii & liberi saepe superaddet solam malitiam & turpitudinem, tum scilicet, quando præceptum implebitur per actum malum, sed talis malitia & turpitudo nihil facit ad finem præcepti, qui haberi poterat sine malitia, quam præceptum nolebat, ergo.

696

Objicies Præceptum datur homini, ergo actus, quo impletur, debet esse actus humanus. R. n. conseq., satis est enim esse actum hominis, qui tali lege tenetur, & per eum actum obtineri finem legis.

Inst. Ut sit formalis transgressio legis, debet esse actus humanus, ergo etiam ut sit formalis impletio legis. R. n. conseq., formalis transgressio legis est peccatum, quod semper est liberum; è contrâ impletio legis nec necessariò est peccatum, uti per se patet, nec necessariò est actus bonus, uti dictum, ergo nec necessariò est actus liber. *Neque dicas*, absque actu libero fore impletionem præcepti negativam tantum, id est, non transgressionem, non autem esse positivam; *Contrâ* est, ponitur hoc, quod præcipitur & hoc posito habetur finis præcepti, ergo adest positiva illius impletio, cùm non requiratur voluntas implendi seu satisfaciendi, uti n. 692. dictum est.

DU-